

10. *Scorzonera Hissarica* C. Winkl.

(Euscorzonera DC.).

*Sc. perennis* radice in tuber inflato saepius bi- vel tricipite; caulibus scapiformibus subnudis in basi tantum foliatis, monocephalis, minute et adpresse hirtulis, demum glabrescentibus; foliis radicalibus late ovato-lanceolatis, margine crebre crispato-denticulatis, apice acuminatis, basi in petiolum brevem attenuatis, petiolo basi in vaginam dilatato; foliis caulinis, si adsunt, lanceolatis vel lineari-lanceolatis, sessilibus; capitulis magnis cylindricis; involucri phyllis 8—10, exterioribus deltoideis, interioribus ovato-lanceolatis exteriora subtriplo superantibus, omnibus acuminatis, acumine obtusiusculo; flosculis luteis; achaeniis maximis costatis, ad costas muricatis; pappi setis plumosis, achaenio subaequilongis, rigidiusculis, basi fuliginoso-violaceis, apice candore carnosio ornatis.

Habitat in Bucharæ orientalis terra Hissar. In declivibus aridis montium Taschbulak nec non in montibus Boratag ad fluvii Kafir-nagan ripam dextram situs prope Akmeschhed altitudine 2—4000' Aprili et Majo mensibus anni 1883 cl. Dr. A. Regel detexit.

Plantae nostrae caules longitudine inter 2 et 3 decim. variant, folia radicalia 1—1,5 decim. longa, 2—3 centim. lata sunt; petiolum vix 3 centim. superat. Capitula matura cum pappi setis exsertis saepius 3,5 centim. attingunt; achaenium maturum 1,8 centim. longum pappi setas paullo superat.

*Sc. Hissarica* a *Sc. picridioides* Boiss., cui affinis est, foliis sensim in petiolum attenuatis nec basi cordatis, achaeniis triplo majoribus, pappi setis rigidiusculis coloratis, nec mollibus niveis, sat distincta est. *S. paradoxa* C. A. Mey. a beato Boissier perperam cum *S. picridioides* Boiss. conjuncta ab illa et a planta nostra foliis margine planis nec crispato-denticulatis facile dignoscitur. Etiam *Sc. ovata* Trautv. *Sc. Hissaricae* valde affinis esse mihi videretur, si non caule ramoso foliato, foliis caulinis e basi cordatis amplexicaulibus abhorreret.